14

DISPUTATIO JURIDICA

De

SUBSTITUTIONIBUS

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Consultissimi VIRI

DN. VALENTINI GUILIELMI FORSTERI

J. U. D. & Professoris ordinarij

Publicè ventilandam exhibet

CONRADUS CARPZOVIUS WITTEBERGENSIS

In Auditorio Jureconsultorum

ad diem 22. Julij, horis a. 6. matutinis.

WITTEBERGÆ.

Typis Wolffgangi Meisneri.

Anno 1614.

VIRO

Magnifico & Consultissimo

DN. BENEDICTO CARPZOVIO

J. U. DOCTORI, SERENISSIMI CHRISTIANI J. FELIC. MEMOR. ELECT. SAXON. VIDUÆ ILLUSTRISSIMÆ CONSILIARIO ET CANCELLARIO, PARENTI SUO ÆTERNUM HONORANDO

In observantiæ filialis argumentum, hanc Disputationem juridicam dicare debuit.

F.

CONRADUS CARPZOVIUS.

D. O. M. A.

Disputatio Juridica

De

SUBSTITUTIONIBUS

Positio I.

CUm fieri poſsit, ut, qui priori loco heredes inſtituti ſunt, aut deficiant, aut exſtiterint quidem, poſt tempus tamen removeantur; ne teſtamentum irritum fieret, aut pars aliqua herede teſtamentario deſtitueretur; inventa & introducta eſt Subſtitutio, ut primis deficientibus aut remotis, per eam fulciretur & muniretur teſtamentum, & ſic hereditas ad alios tranſiret.

II.

Quamvis autem ſubſtituendi verbum in latiore ſignificatu ſumptum, Latinis ſit in locum aliorum rerum deficientium vel inutilium, alias ſubmittere & ſubrogare; Hîc tamen nobis ſubſtituere eſt in locum primi

primi deficientis vel heredis vel exheredati, alium heredem instituere.

III.

Et rectè Substitutio, cujus origo â jure civili est, sic definitur, quod sit secundi heredis institutio in locum heredis remoti, verbis directis vel precariis, in testamento sive codicillo, facta.

IV.

Hæc dividitur in directam & fideicommissariam. Illa fit verbis directis & civilibus, in qua substitutus capit hereditatem rectâ ex testamento & ab ipso testatore, nô ab heredibus prius institutis; Hæc fit verbis precariis & obliquis, ubi licet animadvertere, fidei commissarium non sic substitui in locum heredis instituti, ut hereditatem rectâ accipiat â testatore, sed ut ab herede.

V.

Nos hîc de Directa tantum agemus. Quæ, â Paulo secundi heredis institutio dicta, rursus â Dd. in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem & Militarem, rectè dividitur.

Sub-

VI.

Substitutionem reciprocam à vulgari & pupillari distinctam speciem cum Donello non agnoscimus; quamvis à Modestino tertium genus substitutionum vocetur; Id enim dicitur non ex re & specie, sed ex conceptione & formula substitutionis.

VII.

Omnis substitutio fit in aliquem casum ex his duobus: aut enim substituitur quis primo heredi sub hac conditione, si primus heres non erit: aut sub conditione contraria, si primus heres erit ac deinde desinet. Qui priore illa conditione substituitur, in primum casum; qui posteriore, in secundum substitui dicitur.

VIII.

Vulgaris inde nomen habet, quod vulgò & vulgari modo, id est passim & communi jure in omnes tùm testatores, tùm heredes institutos recepta sit. Unde, omnibus jure testantibus, potestatem in vulgarem casum substituendi constitutam esse, sequitur.

IX.

Et est ea, quæ fit in primum casum. Factaque à testatore intelligitur, si aut verbis exprimatur, aut verbis non expressa conjecturâ voluntatis colligatur; illa substitutio vulgaris expressa, hæc tacita à Dd. appellatur.

X.

Expressa intelligitur, si testator, aut posita conditione hujus substitutionis propria, substituat hoc modo: Si primus heres non erit, secundus heres esto; aut verbo substituendi utatur in persona ejus instituti, cui aliter, quàm in vulgarem casum substitui non potest, ut si dicat: Titium primo substituo, aut pluribus institutis, ita scribat: eosque invicem substituo. Illic si primus extraneus fuerit, cui testator ut impuberi non potest substituere, aut hîc unus ex heredibus in eadem causa, superiori verbo in vulgarem casum tantùm facta videtur substitutio.

XI.

Vulgaris

Vulgaris non expressa sive tacita colligitur conjecturâ voluntatis, cum aut alia substitutio posita sit; aut eadem in unius instituti persona expressa, in alterius instituti persona intelligitur.

XII.

Alia substitutione posita intelligitur vulgaris, cum pater filio impuberi in secundum casum substituit, si heres erit, & impubes decesserit; his enim verbis substitutio pupillaris tantùm exprimitur, sed qui ita substitutus est, etiam in vulgarem casum videtur substitutus; ut si impubes heres non erit, puta quod decesserit patre vivo, nihilominus substitutus patri substitutus intelligatur.

XIII.

In unius instituti persona expressa vulgaris substitutio, etiam ad alterum substitutum porrigitur, cum duobus heredibus institutis, & uno alteri substituto, alius huic substituto substitutus est; tum enim placet posteriorem substitutum utriq; instituto substitutum esse, & ad utriusq; partem admitti.

Ex

XIV.

Ex vulgari ſubſtitutione defertur hereditas ſubſtituto, conditione, quâ ſubſtitutus eſt, exſiſtente; cui conſequens eſt, ea deficiente, ipſum excludi, & ad hereditatem non admitti,

XV.

Deficit autem conditio, primo herede exſiſtente, quod fit, ſi quidem ille fuerit ſuus, ipſo jure, ſi extraneus, hereditatem adeundo; nec minus ſuus heres vel ſervus proprius, cui in vulgarem caſum ſubſtitutio facta, ab adeundi neceſsitate liberatur.

XVI.

Non deficit hæc conditio, ſi inſtitutus heres quidem non fiat, adire tamen poſsit hereditatem, eamque adeundo acquirere; quod accidit in filijsfamilias & ſervis heredibus inſtitutis; quamvis enim hereditatem juſſu eorum quorum in poteſtate ſunt adeuntes, ſecundum verba conditionis, ipſi verè heredes non exſiſtant; ex mente tamen teſtatoris, qui tale quod dicere intelligitur; ſi neque ipſi heredes erunt, neq; alium fecerint, exſiſtere cenſentur.

Quod

XVII.

Quod si quis servum alienum, quem patremfamilias putavit, heredem instituerit, eique alium substituerit, sique institutus jussu domini adijt hereditatem; substitutus hoc casu non omnino exclusus intelligitur, verùm in partem cum instituto admittitur, ita ut, secundum Iuliani sententiam, semissis unus instituto cedat, alter verò inter hunc & illum dividatur.

XVIII.

Ut autem deficiat illa conditio, necessarium est, ut duret aditio, nec rescindatur; ea enim rescissa, perinde erit, quasi nulla intervenisset; quamobrem & tunc substituto locus erit.

XIX.

Exsistit conditio, & substituto locum facit, primo herede deficiente, quod fit, si certum fuerit, ipsum heredem esse non posse; & certum est, cum vel heres esse noluit, vel casu non potuit; Non vult heres esse extraneus repudiando, suus verò hereditate abstinendo.

 Non

XX.

Non idem probandum in filiofamilias herede instituto, cui substitutus datus erat, si fortè recuset adire hereditatem jubente patre, hoc enim casu substitutus, admisso patre, excludetur.

XXI.

Casu primus heres esse non potest, si impediatur, quò minus adeat hereditatem; id ei contingit, qui vivo testatore decessit, non enim potuit adire viventis hereditatem, quæ nulla erat; quique sub conditione institutus erat, si conditio deficiat; Idem & ei heredi, cui cum mortuo testatore purè delata esset hereditas, decessit ante aditam hereditatem, nisi eandem transmittat. Necnon ei, cui incapacitas obstat.

XXII.

Partes, quas testator cuique substituto adscripsit, sive pares sint, sive dispares, servantur; quod si substituit sine partibus, omnes ex æquis admittuntur; nisi pluribus heredibus institutis, aut invicem ipsi, aut

plures

plures ex his uni alicui substituti sint; tunc enim placet, quibus ex partibus prius instituti erant, ex ijsdem & substitutos videri.

XXIII.

Pupillaris substitutio ea est, quâ quis liberis impuberibus, in potestate existentibus, in secundum casum substituit.

XXIV.

Et sic substituendi potestas solis parentibus concessa est, ut possint dare heredem liberis impuberibus; id est, eum heredem, qui substitutus impuberi, sit impuberis heres non patris: ita ut non in patris, sed impuberis bona succedat.

XXV.

Omnibus autem liberis, modò eos utroque, tam mortis quàm factæ substitutionis, tempore, in potestate parentes habeant, pupillariter substituere licet; sine discrimine sexus, tam masculis quàm fæminis, sine discrimine nascendi, tam posthumis quàm jam natis; sine discrimine gradus, tam nepotibus quàm filijs; modò illi mortuo avo in patris sui potestatem

recasuri non sint; & denique tam exheredatis quàm institutis.

XXVI.

Cumque ad hanc substitutionem expressè requiratur, ut liberi sint in testatoris potestate, consequens huic est, ut extraneis facta hæc substitutio, nullius sit momenti; quod in tantum verum est, ut ne quidem jure fideicommissi sustineatur.

XXVII.

Nec valet hæc substitutio ultra annos pubertatis facta, & post id tempus, ut jure directo non valet, sic neque valebit ex causa fideicommissi.

XXVIII.

Cum in substitione pupillari duo sint testamenta, testatoris & impuberis, testator prius sibi testamentum faciat, deinde impuberi substituat; minimè tamen necesse est, ut utrumque eodem tempore fiat; nec ordinem scripturæ desideramus.

XXIX.

Et quidem filij testamentum â patris ita dependet necessariò & inseparabiliter, ut

paterno

paterno corruente, concidat & filij; Quod tamen de jure novo, propter constitutionem Justiniani in N. 115. c. 3. secus se habet.

XXX.

Est & pupillaris substitutio alia expressa, quæ fit expressa hujus substitutionis conditione, hoc modo: si filius heres erit, & intra pubertatem decesserit, Titius heres esto: vel cum pluribus impuberibus heredibus institutis, ita substituit pater, eosq; invicem substituo: alia non expressa seu tacita, cum filio impuberi instituto substituit in primum casum, hoc modo: si filius impubes heres non erit, Titius esto. Hîc enim placet, etsi filius heres erit, & intra pubertatem decedat, etiam in hunc alterum casum Titium substitutum videri.

XXVI.

Quod sic demum procedit, si patris voluntas non refragetur; hanc autem refragari, exinde conijcitur: si pater nominatim in secundum casum alium substituat; aut si in conditione substitutionis vulgaris factæ impuberi, comprehendat alium he-

redem , in cujus perſona locum habere non potuit ſubſtitutio pupillaris ; Item, cum impubes , cui in primum tantum caſum ſubſtitutus datus eſt , intra pubertatem decedit matre ſuperſtite , & eadem prius inſtituta cum filio.

XXXII.

Quod, ſi prius inſtituta non eſſet, is, qui in primum caſum ſubſtitutus eſt impuberi; etiam adverſus matrem in ſecundum caſum ſubſtitutus videtur.

XXXIII.

Non autem ſtatim ex hac ſubſtitutione defertur hereditas , ſed tunc cum exſiſtit conditio ſubſtitutionis, hoc eſt, cum impubes heres exſtitit , & intra pubertatem deceſsit ; Prior conditionis pars ſemper exiſtere intelligitur , ſi impubes ſit ſuperſtes patri , nec quidquam nocuerit ſubſtituto , ſi poſtea impubes ſe abſtineat hereditate; poſterior quando exſiſtat, mors impuberis docebit.

XXXIV.

Et tantum hîc ſubſtituto defertur, quan-

quantum fuit pupilli, cum is moritur, ſive â patre obvenerit, ſive quæſitū ſit aliunde. Excipimus ſubſtitutum arrogati, ad quem nihil amplius poteſt pertinere ex ſubſtitutione, quàm quod ad impuberem pervenit ex bonis, aut beneficio arrogatoris.

XXXV.

Ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis alia introducta eſt, quæ â nonnullis quaſi pupillaris, rectè & exemplaris appellatur; Ex cujus permiſsione licet parentibus liberis ſuis mente captis, heredibus inſtitutis, & legitima ſaltem portione his relicta, ſubſtituere heredem in ſecundum caſum; ſi heredes erunt, & in eadem alienatione mentis deceſſerint.

XXXVI.

Conveniunt pupillaris & exemplaris ſubſtitutio, in re ipſa & ſubſtitutione; item, in perſona ſubſtituentium, ubi tamen poteſtas excluditur; item, ut liberi quibus ſubſtituitur, mortuo parente, qui ſubſtituit, ſui juris futuri ſint; deniq; ut pater ſibi priꝰ teſtamentum faciat, quæ omnia cum pupillari hæc communia habet. Ple-

XXXVII.

Pleraque tamen ſunt diſsimilia; diſtant enim & perſonis quibus ſubſtituitur, & conditionibus ſubſtitutionis quibusdam; illic ſubſtituitur liberis impuberibus ſanæ mentis; hîc mente captis tam puberibus quam impuberibus; ad quos etiam furioſos referimus, non tamen prodigos, uti nec ſurdos & mutos.

XXXVIII.

Eſt & hoc ſingulare in ſubſtitutione exemplari, quod tam matri, quàm patri, cui ſaltem legitimis, ſubſtituere liceat; quid ergo, ſi uterque parens, filio mente capto teſtamentum facere velit, uter alteri debeat præferri? Cum ijs ſentimus, qui indiſtinctè patrem matri præferunt.

XXXIX.

Sic & in eo diſtinguuntur, quod pupillariter tam exhereditatis quàm inſtitutis poſsit ſubſtitui; exemplariter non, niſi inſtitutis, quibus teſtator totam legitimam relinquere tenetur.

XL.

In

In ſubſtitutione pupillari quosvis filio ſubſtituere licet; mente capto, ſi liberos habeat, hi ſubſtituendi ſunt; ſi ſine liberis habeat fratres, & hi ſubſtituendi; quibus omnibus non extantibus, quoslibet demum ſubſtituere licet.

XLI.

Si conditio, ſub qua hæc ſubſtitutio facta eſt, extiterit, ſubſtituto hereditas, non patris, ſed filij mente capti, id eſt, omnia bona filij, non tantum quæ à patre habuit, ſed etiam quæ ad illum perveniunt aliunde, deferuntur. Hîc & illud notandum, ſubſtitutionem extinctam non cenſeri, ſi filius reſipuerit, brevi autem in eundem morbum reciderit.

XLII.

Reſtat militaris ſubſtitutio, quæ fit jure militari, quâ miles non tantum liberis, ſed etiam extraneis; nec tantum impuberibus, ſed etiam puberibus in ſecundum caſum ſubſtituere poteſt.

XLIII.

Et si filius militis, cui substitutum est, intra pubertatem decedat, tota hereditas ad substitutum pertinet: si verò post pubertatem ad substitutū, ex causa fideicommissi, bona quidem patris, quæ ejus cum moreretur fuerunt, bona autem filij ad legitimos heredes pertinent.

XLIV.

Hæcque substitutio, cum non jure communi, sed ex speciali privilegio militibus concedatur, ad Doctores & causarum Patronos nequaquam erit extendenda.

FINIS.